

Prophetia Jonæ

1 ¹ Et factum est verbum Domini ad Jonam, filium Amathi, dicens : ² Surge, et vade in Niniven, civitatem grandem, et prædica in ea, quia ascendit malitia ejus coram me. ³ Et surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis a facie Domini, et descendit in Joppen : et invenit navem euntem in Tharsis, et dedit naulum ejus, et descendit in eam ut iret cum eis in Tharsis a facie Domini. ⁴ Dominus autem misit ventum magnum in mare : et facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri. ⁵ Et timuerunt nautæ, et clamaverunt viri ad deum suum, et miserunt vasa quæ erant in navi, in mare, ut alleviaretur ab eis ; et Jonas descendit ad interiora navis, et dormiebat sopore gravi. ⁶ Et accessit ad eum gubernator, et dixit ei : Quid tu sopore deprimeris ? surge, invoca Deum tuum, si forte recogitet Deus de nobis, et non pereamus. ⁷ Et dixit vir ad collegam suum : Venite et mittamus sortes, et sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes, et cecidit sors super Jonam. ⁸ Et dixerunt ad eum : Indica nobis cujus causa malum istud sit nobis : quod est opus tuum ? quæ terra tua, et quo vadis ? vel ex quo populo es tu ? ⁹ Et dixit ad eos : Hebræus ego sum, et Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare et aridam. ¹⁰ Et timuerunt viri timore magno, et dixerunt ad eum : Quid hoc fecisti ? cognoverunt enim viri quod a facie Domini fugeret, quia indicaverat eis. ¹¹ Et dixerunt ad eum : Quid faciemus tibi, et cessabit mare a nobis ? quia mare ibat, et intumescebat. ¹² Et dixit ad eos : Tollite me, et mittite in mare, et cessabit mare a vobis : scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos. ¹³ Et remigabant viri ut reverterentur ad aridam, et non valebant, quia mare ibat, et intumescebat super eos. ¹⁴ Et clamaverunt ad Dominum, et dixerunt : Quæsumus, Domine, ne pereamus in anima viri istius, et ne des super nos sanguinem innocentem : quia tu, Domine, sicut voluisti, fecisti. ¹⁵ Et tulerunt Jonam, et miserunt in mare : et stetit mare a fervore suo. ¹⁶ Et timuerunt viri timore magno Dominum : et immolaverunt hostias Domino, et voverunt vota.

2 ¹ Et præparavit Dominus piscem grandem ut deglutiret Jonam : et erat Jonas in ventre piscis tribus diebus et tribus noctibus. ² Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis, ³ et dixit :

Clamavi de tribulatione mea ad Dominum,
et exaudivit me ;
de ventre inferi clamavi,
et exaudisti vocem meam.

⁴ Et projecisti me in profundum in corde maris,
et flumen circumdedit me :
omnes gurgites tui, et fluctus tui super me transierunt.

⁵ Et ego dixi :

Abiectus sum a conspectu oculorum tuorum ;
verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum.

⁶ Circumdederunt me aquæ usque ad animam :
abyssus vallavit me,
pelagus operuit caput meum.

⁷ Ad extrema montium descendi ;
terræ vectes concluserunt me in æternum :
et sublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus.

⁸ Cum angustiaretur in me anima mea,
Domini recordatus sum :
ut veniat ad te oratio mea,
ad templum sanctum tuum.

⁹ Qui custodiunt vanitates frustra,
misericordiam suam derelinquunt.

¹⁰ Ego autem in voce laudis immolabo tibi :
quæcumque vovi, reddam pro salute Domino.

¹¹ Et dixit Dominus pisci, et evomuit Jonam in aridam.

Apocalypsis B. Joannis Apostoli

4 ¹ Post hæc vidi : et ecce ostium apertum in cælo, et vox prima, quam audivi tamquam tubæ loquentis mecum, dicens : Ascende huc, et ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc. ² Et statim fui in spiritu : et ecce sedes posita erat in cælo, et supra sedem sedens. ³ Et qui sedebat similis erat aspectui lapidis jaspidis, et sardinis : et iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ. ⁴ Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor : et super thronos viginti quatuor seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, et in capitibus eorum coronæ aureæ. ⁵ Et de throno procedebant fulgura, et voces, et tonitrua : et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei. ⁶ Et in conspectu sedis tamquam mare vitreum simile crystallo : et in medio sedis, et in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante et retro. ⁷ Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti. ⁸ Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas : et in circuitu, et intus plena sunt oculis : et requiem non habebant die ac nocte, dicentia : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est. (...)

5 ¹ Et vidi in dextera sedentis supra thronum, librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem. ² Et vidi angelum fortem, prædicantem voce magna : Quis est dignus aperire librum, et solvere signacula ejus ? ³ Et nemo poterat

neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum. ⁴ Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre eum. ⁵ Et unus de senioribus dixit mihi : Ne fleveris : ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus. ⁶ Et vidi : et ecce in medio throni et quatuor animalium, et in medio seniorum, Agnum stantem tamquam occisum, habentem cornua septem, et oculos septem : qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram. ⁷ Et venit : et accepit de dextera sedentis in throno librum. (...)

6 ¹ Et vidi quod aperuisset Agnus unum de septem sigillis, et audivi unum de quatuor animalibus, dicens tamquam vocem tonitruï : Veni, et vide. ² Et vidi : et ecce equus albus, et qui sedebat super illum, habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret. ³ Et cum aperuisset sigillum secundum, audivi secundum animal, dicens : Veni, et vide. ⁴ Et exivit alius equus rufus : et qui sedebat super illum, datum est ei ut sumeret pacem de terra, et ut invicem se interficiant, et datus est ei gladius magnus. ⁵ Et cum aperuisset sigillum tertium, audivi tertium animal, dicens : Veni, et vide. Et ecce equus niger : et qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua. ⁶ Et audivi tamquam vocem in medio quatuor animalium dicentium : Bilibris tritici denario et tres bilibres hordei denario, et vinum, et oleum ne læseris. ⁷ Et cum aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis : Veni, et vide. ⁸ Et ecce equus pallidus : et qui sedebat super eum, nomen illi Mors, et infernus sequebatur eum, et data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, et morte, et bestiis terræ. ⁹ Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium, quod habebant : ¹⁰ et clamabant voce magna, dicentes : Usquequo Domine (sanctus et verus), non iudicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra ? ¹¹ Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ : et dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum donec compleantur conservi eorum, et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut et illi. ¹² Et vidi cum aperuisset sigillum sextum : et ecce terræmotus magnus factus est, et sol factus est niger tamquam saccus cilicinus : et luna tota facta est sicut sanguis : ¹³ et stellæ de cælo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cum a vento magno movetur : ¹⁴ et cælum recessit sicut liber involutus : et omnis mons, et insulæ de locis suis motæ sunt : ¹⁵ et reges terræ, et principes, et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus, et liber absconderunt se in speluncis, et in petris montium : ¹⁶ et dicunt montibus, et petris : Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira Agni : ¹⁷ quoniam venit dies magnus iræ ipsorum : et quis poterit stare ?